

monii, utpote quod per affinitatem dirimitur et invalidum evadit: quando autem agitur de valore sacramenti, nullatenus licet sequi sententiam probabilem relicta probabiliori, prout aperte constat ex decreto Innocentii XI, contrariam opinionem ordine ibidem primam damnantis.

46. *Solvitur objectio, quod requiratur etiam seminatio feminæ.* — Dices, matrimonium est causa favorabilis, ita ut in dubio et controversia pro illa standum sit ac judicandum: ergo. Resp. Anteced. in aliquibus esse verum de matrimonio actu jam contracto, non autem de contrahendo, utpote ad quod impediendum sufficit unus quoque testis, etsi cæteroquin inhabilis, de impedimento testificans per dicta supra tit. I, n. 315, arg. c. *Præterea, de Sponsal. et matrim.*

47. *Affinitas ex copula illicita usque ad secundum, ex licita vero usque ad quartum gradum dirimit.* — Quæritur II. Quousque, et quo jure affinitas dirimat matrimonium? Quomodo item gradus affinitatis sint computandi? Resp. I. Quamvis olim affinitas jure antiquo usque ad septimum gradum diremerit matrimonium; can. *Nullum. 7*, cau. 35, q. 3, cum concordantiis, hodierno tamen jure affinitas ex licita copula conjugali proveniens, tantum usque ad quartum gradum inclusive inter maritum videlicet, et consanguineos uxoris, et vicissim inter uxorem et consanguineos mariti dirimit. Proveniens vero ex illicita copula, fornicaria videlicet, vel adulterina usque ad secundum gradum inclusive inter fornicatorem vel adulterum, et consanguineos illicite cognitæ: ac vicissim inter hanc et consanguineos fornicatoris vel adulteri. Communis ac certa. Et quidem prima pars de affinitate ex copula conjugali licita textus expressus habetur c. *Non debet. 8*, h. t. ibi: « Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. » De affinitate vero ex copula illicita habetur expressa dispositio concil. Trident. sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. IV. « Sancta synodus gravissimis de causis adducta impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo et secundo gradu junguntur, restringit, in ulterioribus vero gradibus

statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere. »

48. *Affinitas in nullo, etiam primo gradu lineæ transversæ dirimit matrimonium jure naturæ.* — Resp. II. Nullus nec primus quidem gradus affinitatis in linea transversali jure naturæ dirimit matrimonium, ut proin per dispensationem Papæ valide ac licite possit quis nubere sorori uxoris suæ defunctæ, vel viduæ relictae fratris mariti defuncti, Scotus, in 4, d. 41, q. un. n. 4; Covarruvias, *de Matrim.* p. II, cap. VI, § 10, n. 7; Pontius, lib. VII, cap. xxxiv; Pirhing, h. t. n. 34, cum communi aliorum, arg. fin. *de Divort.* ubi ex dispensatione Ecclesiæ permittitur conversis ad fidem, ut « matrimoniis contractis, cum relictis fratrum utantur: » qua ratione cum affinis in primo gradu dispensarunt Pontifices; ut Julius II, qui dispensavit cum vidua regina Angliæ, ut nuberet defuncti regis fratri Henrico VIII, quam dispensationem legitimam et validam fuisse, consultis prius celeberrimis Europæ universitatibus, per speciale bullam postea declaravit Clemens VII, unde ortum est infelicissimum illud schisma, per quod Angliæ regnum ab Ecclesia Romana catholica descivit. Clemens VIII, etiam dispensavit cum rege Poloniæ, quod nubere potuerit sorori defunctæ uxoris, etc. Accedit, quod Jacob sanctissimus patriarcha duxerit Rachel, et Liam sorores, *Genes. 29*, et lex Moisaica jusserit, ut frater duceret uxorem fratris sine liberis defuncti; quæ omnia fieri non poterant, si affinitas in primo gradu linea transversæ jure naturæ esset irritans.

49. *Bene tamen in primo gradu lineæ rectæ, ut proin Papa dispensare possit, quod quis ducat fratris sui defuncti uxorem, non item quod provignus ducat novercam.* — Resp. III. Quamvis plures doctores ut Sanchez, lib. VII, disp. 66, n. 7; Diana, p. IV, tract. IV, resolut. 93; Pontius, lib. VII, cap. xxxiv, n. 5, et alii doceant, affinitatem jure divino etiam in lineæ rectæ gradu primo non dirimere matrimonium; nihilominus sententia contraria dicens, affinitatem in lineæ rectæ gradu primo, v. g. inter vitricum et privignam, item inter novercam et privignum, etc. Jure naturæ dirimere matrimonium, probabilior videtur, eamque docet Sylvester, *Matrimonium. 8*, q. 15, d. 6; Pirhing, h. t. n. 32, et alii, arg. 1. *Si ad Adulterium. § 2*, ff. *ad Leg. Jul. de Adulter.* et l. fin. ff. *de Condict. sine cau.* et ibi Glossa aperte di-

cens, tale matrimonium contra jus naturale et civile esse, et can. *Si vir. 15*, cau. 35, q. 3, ubi dicitur: « Si vir et uxor non jam duo sed una caro sunt, non aliter nurus reputanda quam filia; » atqui cum filia jure naturæ irritum est matrimonium: ergo. Quibus accedit concilium Averdense, cap. XI, ubi matrimonium cum privigno initum, jure naturæ rumpi dicitur: unde et gentes talia conjugia utpote instinctu naturæ abominantur, I *ad Corint.* cap. V, ibi: « Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. » Ratio est, quia vitricus et noverca, soror et nurus parentum loco veniunt, § *Sacrum. 7*, *Instit. de Nupt.* et l. *Quia parentis. 16*, ff. *Solutio matrim.* consequenter eisdem eadem fere debetur reverentia a privignis, etc. quæ a liberis naturalibus. Confirmatur Ecclesiæ praxi, quæ nunquam legitur dispensasse cum affinis in primo lineæ rectæ gradu.

50. *Aliud tamen est, si affinitas ex copula illicita primo gradu oritur.* — Intelligitur autem conclusio de affinitate ex copula licita conjugali, quia inter affines in primo gradu lineæ rectæ ex copula illicita jure naturæ matrimonium non dirimi satis conveniunt doctores, eo quod jura et rationes de his non militent; et cum his sacra sedes jam sæpe dispensaverit, teste Laymano, lib. V, tract. X, p. IV, cap. VI, n. 6.

51. *Doctrina practica computandi et cognoscendi gradus affinitatis.* — Resp. IV. Gradus affinitatis mensurantur, et computantur juxta gradus consanguinitatis, ita ut quoto gradu consanguinitatis aliquis est conjunctus personæ alicui carnaliter cognitæ, toto gradu affinitatis ipse sit conjunctus illi, qui talem carnaliter cognovit: et vicissim quoto gradu consanguinitatis quis est conjunctus personæ alicui aliquam carnaliter cognoscenti, toto gradu affinitatis sit conjunctus personæ carnaliter cognitæ. Unanimis et certa textu expresso can. *Porro. 3*, cau. 35, q. 5.

52. Hinc ad cognoscendos affinitatis gradus non erit opus nova arbore affinitatis, cum ex sola arbore consanguinitatis facile dignosci valeant. Scire enim cupiens vir v. g. An, et quoto gradu affinitatis sit conjunctus alicui puellæ, tantum attendat, an ipsius consanguineam habeat pro uxore, vel aliquando unam ex consanguineis talis puellæ carnaliter cognoverit: si non, infe-

rat: ergo non sum affinis: si sic, inferat, ergo sum affinis; et ulterius indaget, quoto gradu consanguinitatis talis puellæ sit conjuncta uxori, vel personæ carnaliter a se cognitæ, quo percepto, inferat; ergo eodem gradu affinitatis sum tali puellæ conjunctus juxta tenorem conclusionis. Quoto autem consanguinitatis gradu memorata puella sit uxori tuæ, vel alteri personæ carnaliter a te cognitæ conjuncta, illico videbis ex arbore consanguinitatis, si nempe dictam puellam ponas in illam cellulam, ubi est Petrus; et videas, ad quam cellulam, ex reliquis pertineat persona a te carnaliter cognita; consequenter quoto gradu consanguinitatis jungatur illi puellæ, juxta dicta supra § præced. et regulas ibidem datas.

53. *Conjux peccans cum consanguinea conjugis privatur jure petendi, non item reddendi debitum.* — Quæritur III. Quid juris? præsertim an, et quale affinitatis impedimentum, et poenas contrahat, si quis contracto jam matrimonio, carnaliter cognoscit consanguineam uxoris suæ? Resp. I. Maritus, qui carnaliter peccat cum uxoris suæ adhuc viventis consanguinea in secundo gradu; vel vicissim si uxor cum consanguineo marito, contrahit quidem affinitatem cum proprio conjugate, ita tamen, ut per illam matrimonium nullatenus dissolvatur, sed tantum privetur jure petendi debitum conjux peccans, quamvis illud reddere teneatur conjugii innocenti idem exigenti. Communis ac certa. Et quidem, quod matrimonium non dissolvatur, textus expressus habetur c. *Discretionem. 6*, c. *Tuæ fraternitatis. 10*, c. *Jordanæ. 11*, h. t. cum concordantiis. Quod vere conjux peccans privetur jure petendi debitum, et nihilominus illud reddere teneatur petenti, textus est, c. h. t. ibi: « Nec debitum petere potest, » et cit. c. 6 et 10, h. t. ibi: « Vir ejus (peccans nempe) poterit, et debet cum Dei timore solvere ei debitum conjugale. » Ratio subjungitur: « Cum affinitas post matrimonium inique contracta illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit. »

54. *Dummodo peccet cum consanguinea in secundo gradu.* — Dicitur autem notanter cum uxoris consanguinea in secundo gradu: quia affinitas ex copula illicita (qualis utique est hæc adulterina) consurgens, secundum gradum non excedit juxta novissimam dispositionem concilii Tridentini, sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. IV, (textum vide su-

pra n. 47) et ad praesens cum aliis bene advertit Sanchez, lib. VII, disp. 15, n. 4, indeque recte infert, quod peccans cum conjugis consanguinea in tertio gradu, jure petendi debitum non privetur.

55. *Incurrit etiam alias juris penas et mortua conjugis innocente non potest amplius nubere.* — Resp. II. Conjugis cum consanguinea conjugis suae carnaliter peccans (praeter alias penas a jure civili in tales delinquentes statutas) de jure canonico in poenam delicti incestuosi debet manere inuuptus, ita, ut cum nulla muliere possit amplius contrahere matrimonium; quamvis, si illud contrahat, valeat. Communis ac certa textu expresso c. 2 et 4, h. t. juncto can. *Si quis*, 5, cau. 35, q. 2, quam poenam etiam ipsa conjugis innocentis consanguinea cum altero peccans incurrit, arg. cit. can. *Si quis*, 5, cau. 35, q. 2, et c. 1, h. t. ibi: «Nec filiastra (privigna, seu filia uxoris suae, cum qua maritus peccaverat) nec ille ullo unquam tempore se poterunt matrimonio copulare.»

56. *Etsi peccarit cum consanguinea conjugis prius jam defuncti.* — Procedit conclusio etiam in casu, quo quis carnaliter peccat cum consanguinea conjugis prius jam defunctae. Sanchez, lib. VII, disp. 15, n. 12; Engel, h. t. n. 5; Barbosa, in c. *Transmissae*, 4, de *Eo qui cognovit*; Pirhing, eod. n. 4, et alii contra Sotum et nonnullos alios a Sanchez citatos, textu expresso cit. c. *Transmissae*, 4, eod. ubi narratur casus de copula carnali cum consanguinea uxoris jam defunctae habita. Ratio est, quia etiam tunc adhuc verum committitur delictum incestus, ob quod solum poena haec lata est.

57. *Requisita ad hoc, ut quis ob incestum cum consanguinea uxoris fiat inhabilis ad nubendum.* — Notandum tamen, ad hoc, ut praefata poena a peccantibus incuratur, requiri quod sciant se esse affines, et unum ex peccantibus esse in primo, vel secundo gradu conjunctum alterius peccantis conjugis. Sanchez, loc. cit. n. 9, asserens ita docere universos, arg. c. 1, de *Eo, qui cognovit*, ibi: «Si quis scienter.» Et ratio est, quia alias verum et formalem incestum non committunt; ob quod haec poena lata est.

58. Ob eandem rationem, hanc poenam non incurrit femina per vim cognita, Sanchez, loc. cit. n. 10; Engel, loc. cit. n. 7; Pirhing, in c. *de Eo, qui cognovit*, n. 6. Ratio est, quia in tali casu talis femina penitus nullam committit culpam, consequen-

ter nullam incurrit poenam, arg. c. *Discretionem*, 6, de *Eo, qui cognovit*.

59. Aliud est de affinitate; haec enim, quia non ob delictum, sed ex sola carnis unione provenit, etiam ab eo contrahitur, qui ignoranter carnaliter cognoscit consanguineam uxoris, vel alterius a se prius cognitae.

60. *Non requiritur, ut fiat seminatio intra vas.* — Ulterius requirit Sanchez, loc. cit. n. 11, cum aliis copulam perfectam, et quidem talem, quae apta est generationi prolis, ita ut saltem vir intra vas feminae seminet; verum haec doctrina non placet; quamvis enim verum sit, requiri perfectam copulam, ita ut vas mulieris vere penetretur, arg. can. *Extraordinaria*, 11, cau. 35, q. 2 et 3, tamen seminatio intra vas non videtur necessaria, eo quod haec poena non proveniat ex sola perfecta carnis unione, uti affinitas, sed ex delicto incestus quod vere et formaliter est tale, etiamsi vir non seminet intra vas, ut omnes fatentur. Imo si vir vase penetrato ad evitandam impraegnationem dein seminet extra vas, delictum incestus majus est, et augetur: consequenter a poena, quae principaliter intuitu delicti incestus a jure posita est, immunis esse non debet.

61. *Quid hodie consuetudo habet de hoc inhabilitate.* — Pro praxi tamen observandum cum Navarro, in *Manual*. cap. xxii, n. 75; poenam incestuosi, vi cuius abstinere debet ab omni matrimonio cum quacunque tandem contrahendo, hodie consuetudine contraria ubique esse abrogatum: vel si alicubi adhuc vigeret, posse saltem in eo dispositionem episcopum.

62. *Qui cognoscit consanguineam sponsam, nec cum hac, nec cum illa potest matrimonium contrahere.* — Queritur IV. Quid juris, si quis cum consanguinea suae sponsae carnaliter peccet? Resp. Si quis carnaliter cognoscit consanguineam sponsam in primo vel secundo gradu, contrahit cum propria sponsa affinitatem, et ex hac impedimentum dirimens, ita, ut sine dispensatione matrimonium cum illa valide contrahere non amplius possit. Communis ac certa per dicta supra. Nec potest talem sponsam consanguineam, quam carnaliter cognovit, in uxorem accipere, si est in primo gradu consanguinea sponsae, eo quod per praecedentia sponsalia jam contraxerit impedimentum publicae honestatis cum illa per dicta tit. IV, a n. 10.

63. *Imo nec cum alia, si carnaliter cognita est consanguinea in primo gradu. Est tamen hoc ultimum consuetudine abrogatum.* — Imo si sponsae consanguinea carnaliter cognita est in primo gradu, v. g. mater, aut soror, tunc tam sponsus, quam sponsae consanguinea peccans prohibetur in posterum cum quacunque alia matrimonium contrahere, can. *Si quis*, 5, cau. 35, q. 2 et 3, et c. 2, *Ex litteris*, 8, de *Eo, qui cognovit*. Verum requiruntur ad hoc etiam conditiones, quae requiruntur in eo, qui cognovit consanguineam uxoris in primo vel secundo gradu, juxta dicta a n. 47. Imo sicut usu, aut consuetudine contraria abrogatam diximus poenam abstinendi a quocunque alio matrimonio in cognoscente consanguineam uxoris, sic idem dicimus modo servatis servandis de cognoscente. Consanguineam sponsam quoad poenam abstinendi a matrimonio cum quacunque alia manentibus tamen in suo robore impedimentis affinitatis, et publicae honestatis provenientibus ex casu, qua quis cognovit consanguineam suae sponsae. (ADNOTATIO LXXXIX.)

TITULUS XV.

De frigidis, et maleficiatis, et impotentia coeundi.

1. *Ratio continuationis.* — Inter alia matrimonii impedimenta est etiam impotentia coeundi, seu habendi copulam conjugalem: quae impotentia quia ex varia causa, ut ex nimia viri frigiditate, aut ex maleficio, aut aliunde provenire potest, ideo praesens titulus de quavis tali impotentia undecunque proveniente agit.

2. *Impotentia coeundi, quatenus est impedimentum dirimens, quid?* — Queritur I. Quid ad praesens, et quotuplex sit impotentia. Resp. I. Est inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam talem quae fit per feminae vasis penetrationem, et seminis in id effusionem. Sanchez, lib. VII, disp. 92, n. 1; Abbas, in c. *Quod sedem*, 2, h. t., n. 5; Pirhing, h. t., n. 1, cum communi. Et patebit magis ex sequentibus.

3. *Alia est naturalis seu intrinseca. Frigiditas et frigidi, quid?* — Resp. II. Impotentia coeundi varie dividitur. Nam primo alia est

naturalis seu intrinseca: alia accidentalis seu extrinseca. Illa est, quae ex ipsius naturae defectu oritur: cujusmodi in femina est arclitudo; si nempe tam arctum habeat vas, ut a viro penetrari nullatenus possit. In viris vero nimia frigiditas, aut caliditas. Frigiditas quidem, quando vir ob temperamentum nimis frigidum caret sufficientibus spiritibus membri erectionem, et ad seminis effusionem excitantibus, ita, ut vel omnino coire et virilia in feminae vas immittere; aut semen illud emittere non valeat. Et ita ob temperamentum frigidum constituti frigidi vocantur, frigiditatemque habere dicuntur, quae in solis reperitur viris, ut D. Thomas in 4, dist. 34, q. un. a. 2, ad 6. communiter receptus bene probat. Nimia caliditas autem adesse censetur, quando vir ob temperamentum nimis calidum statim ac virga habilis ad copulam invenitur, ita praepropere emittit semen, ut intra vas femineum illud immittere nunquam valeat: quamvis, ut bene advertit D. Thomas, loc. cit., in corpore, haec impotentia ex caliditate rarissime, et vix unquam contingat.

4. *Alia impotentia est accidentalis et extrinseca.* — Impotentia accidentalis, seu extrinseca est, quae non ex naturae defectu, sed ex maleficio, vel hominis opera provenit: qualis invenitur in maleficiatis, castratis etc.

5. *Alia perpetua, alia temporalis.* — Secundo dividitur impotentia in perpetuam, et temporalem. Perpetua est, quae absque mortis periculo, nec per licita media naturalia, nec per spiritualia, puta, per consuetos ecclesiae exorcismos, aut benedictiones, etc. tolli potest; et si per miraculum vel media illicita, vel per media naturalia cum mortis periculo tolli valeat. Temporalis est, quae vel opera, vel arte naturali licita, vel per consuetos ecclesiae exorcismos, aut alia media spiritualia praeter miraculum tolli potest, arg. c. *Fraternitatis*, 6, h. t. ibi: «Nos perspicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod praeter divinum miraculum per opus humanum, absque corporali periculo potuit removeri,» et ibi doctores communiter, qui etiam conveniunt, impedimentum perpetuum esse, etsi per medium illicitum, incantationem v. g. vel maleficium contrarium tolli queat; quia de jure illud tantum possibile, et fieri posse censetur, quod licite fieri potest, can. *Fraternitatis*, 15, cau. 22, q. a. juncta Glossa §. *Quod potest*.